

Lib. I. An-
tiquitatum
judaicarū
cap. 8.

Hippar-
chus Rho-
dius.

Ptolomei
Encomiū.

Coperniaci
Deas.

lij, ad eorum successores, & tandem ad Patriarchas descen-
disse astrorum scientiam credibile est: Adeò ut idem rerum
Judaicarum scriptor non dubitet subjungere, Abrahamum
Patriarcham ex ijs, quæ videbat circa Solem, Lunam & reliqua
Sidera apparere, primum vicinos homines docuisse, unum esse
Deum rerum universitatis conditorem, & conservatorem, cu-
jus voluntati omnia in rerum natura obsecundent: Et pro-
pterea huic soli honorem & gratias ab hominibus esse re-
ferendas. Hæc, inquam, ab Astrorum æternis & admirandis
circuitibus didicisse, aliosque docuisse Abrahamum, testatur
Josephus, eundemque non ita diu post in Ægyptum profe-
ctum esse, ait, atque inter alia Ægyptios non solum numero-
rum scientiam, ut supra dixi; sed & Astronomiam docuisse, eò
quod illi ante Abrahami ad eos adventum hujus artis ignari
essent. Hinc itaque patet, à primis parentibus statim circa
mundi exordia inceptam esse Astrorum cognitionem, & inde
ad Patriarchas quasi per manus traditam; eoque id verifimi-
lius est, quòd hi longæva ætate præditi erant, quæ requireba-
tur, in diligenter perquirendis intricatis illis tardiorum præ-
sertim siderum motibus. Quantum verò ad nos in Astrorum
scientia pervenit, Hipparchus Rhodius primus ejus parens
censetur. Is enim fixarum loca diligenter observavit, Solisque
& Lunæ cursus per plurimos subsequentes annos designavit:
Ac in ceterorum Planetarum totiusque cœli observationi-
bus diligentissimus fuit. Hujus inventis & considerationibus
Ptolemæus Alexandrinus cum suis collatis, totam artem in
certas Hypotheses, unaque in numeros redegit, & immorta-
lem apud omnem posteritatem hinc meritò sibi peperit me-
moriam.

Dum convexa Poli lustrabit lumine Titan:

Et vaga nocturnam præbebit Cynthia lucem:

Semper bonos, nomenq. tuum, laudesq. manebunt.

Nostra verò ætate Nicolaus Copernicus, quem alterum
Ptole-